

P r a e f a n d a .

Quae sola inscriptione huius libelli non cuivis patebunt, quam ob causam nec de Thebarum origine incolisque nec de Cadmo Cadmeorumque rebus pluribus sit disputatum, paucissimis nunc aperiendum videtur. Nimirum tota laboris institutio proposito priori obstabat. Nam quum iamdudum in hac palaestra laborare cupissem, rem autem animo volutans meorum et quae hoc, quo versor, loco ad manus sunt, subsidiorum maxima laborantem paucitate me vidissem iamque semel iterumque in eo fuissem, ut totum abiicerem consilium, uti tandem licuit anni proxime praeteriti aestate otio tum per ferias legitimo tum ultra benigniter concesso ad inspiciendas bibliothecae Bonnensis copias in usumque meum convertendas. Cuius

rei facultas Welckeri Berndiique humanitate praeter expectationem mihi contigit. At, ut fit, paucorum dierum celeriter effugit otium; hinc multa iacebant imperfecta mancaque, quum valedicendi momentum opinione celerius advenisset. Neque compensare poterant iacturam inde factam, quae manu amicissima et liberalissima collegae quidam vicini offerebant, quamvis gratissimo animo accepta. Quare tu quidem, Lector Benevole, accipe quae habeo; quibus fontibus hauserim, vides diligenter in annotationibus indicatum; quae dare nequeo, noli postulare. Iudicium vero tuum cohibe, si forte nimis acriter incuriam scriptori sis exprobraturus.

Dabam Herfordiae m. Julio MDCCCXXXIII.

Quae sola inscriptione huius libelli non curis patitur, quam ob
revertit nec de Thibautum curiae incipiente nec de Cabano Cab
nequeque rebus dicitur; de quibus pauca sunt quae sequuntur
Sunt igitur. Primum tota laboris inscriptio proposito prioribus
est. Deinde cum innotuit in hac palaeographia laboris
tam autem animo veritas innotuit, ut cum hoc
et quibus sunt, adhibere non debentur, quodammodo in
non innotuit, sed innotuit, ut innotuit, ut innotuit
conferunt, ut innotuit, ut innotuit, ut innotuit
non innotuit, ut innotuit, ut innotuit, ut innotuit
libellus de palaeographia inscriptio huius libelli non curis patitur.

Caput I.

Veterum gentium explorare primordia ut iucundissimum ita sane molestissimum est. Nam quis nesciat, spissis obvoluta illa fabularum tenebris non facilem pati aditum ad sinceram candidamque veritatis lucem? Quare qui voluerit ipsas expromere populi cuiusdam res antiquissimas, caveat ne, quod saepe fit, sibi et aliis, ut aiunt, fucum faciat, neu scire se putans, quae sciri nequeunt, negligens, quae nescire dedecet, in Scyllam incidat, dum vult vitare Charybdim. Quales autem sint scopuli, sensimus et nos Boeotorum rebus perlustratis et, ut diligentius investigaremus, electis. Orsi sumus a primordiis; sed nunc non libet perscribere, quae angustis libelli annalibus scholae nostrae praemissi limitibus vetantur, accuratam totius argumenti expositionem, doctam et sedulam aliorum refutationem, ne multa, rerum Boeoticarum historiam, sed summam tantummodo eorum delibare, quae visa sunt probabilia et, quantum fieri potuit, cum commodissima specie veri eruta. Audax profecto et doctioris calami, quin doctissimi cuiusque dignum facinus! Nam quid ex antiquitate restitit ad has res perspiciendas? Interierunt Aristophanis ¹⁾, Aristodemi ²⁾, Timagorae ³⁾, Lysimachi ⁴⁾, Callippi ⁵⁾, Chersiae ⁶⁾, aliorum ⁷⁾ de rebus Boeoticis libri;

1) Stephan. Byzantin. de urbib. v. *Χαιρώνεια*. — 2) Schol. Apollon. Rhod. II, 906. Schol. JI. IV. in. Schol. Eurip. Phoen. 159. Phot. Suid. v. *Τελμησία*, Phavorin. v. *Ὀμόλοζ*. cf. Valcken. ad schol. Eur. Ph. p. 114. sq. Boeckh. praef. schol. Pind. p. XIV. praef. Corp. Inscr. I. p. VIII. — 3) Schol. Eur. Ph. 7. Valckenar. p. 597. 739. — 4) Schol. Ap. Rh. III, 1179. cf. Suid. v. *Καδμεία νίκη*. — 5) Müller Orchomen. (Histor. nationn. Graec. Vol. I.) p. 17. — 6) ibid. p. 18. — 7) ap. Heyn. ad Apollodor. III, 4, init., 1. init. Siebelis ad Paus. IX, 5, 1. Tom. IV. p. 15 sq.

reliquorum ex antiquitate scriptorum nemo fere singulari usus est cura et studio in propellenda fabularum caligine, quae quanta et quam densa sit dici vix potest; recentiores abeunt in diversa omnia⁸⁾. Accedit, quod multa illustrari et inter se consociari plane nequeunt. Qui enim aetate proximi sunt logographi, Hecataeus, Pherecydes, Acusilaus, alii, vera discernere a fictis aut non satis potuerunt aut etiam noluerunt; poetas in acre iudicium nemo vocabit. Herodoto, qui fidei nuper contra Müllerum⁹⁾, Wachsmuthium¹⁰⁾, alios acerrimum defensorem nactus est Baehrium¹¹⁾, quamvis ingenium castissimum et ab ostentandi mendaciisque fallendi pruritu alienum abnegare religiosum ducatur, nunquam tamen non potuit errasse, quum ob aetatis, qua vixit, infantiam tum ob vastitatem operis illo tempore suscepti, quum nec fontes satis copiose fluerent et labor esset immensus pro unius viri facultate. Plura eaque minime contemnenda immo maximi aestimanda offerunt Pausanias et Strabo, quorum alter idoneus est testis in describendis, quas ipse peragravit, regionibus, at non item certus ac perspicuus in rebus enarrandis¹²⁾, alter summa diligentia et acri censura utitur in libro Geographicorum vastae doctrinae pleno, at sicut in interioribus Boeotiae partibus, quas ipse non vidit, saepius decipi se

Gerh. J. Voss. de historicis Gr. vo. II. Frid. Kruse Hellas Tom. II. P. I. p. 408 sq. De rebus Thebanis v. qu. habet Meusel. bibl. hist. laud. ab Odofr. Müll. Orchom. p. 13. annot. I. — 8) De primis Boeotiae populis consulendi praeter antiquiores, Palmerium (Descr. Graeciae), Ubbonem Emmium, Laurenbergium, Meursium (in Gronov. Thesaur. Antiquitat. Gr.) Simson. (Chron.), Beckium Hist. univ. Tom. I. p. 817 ss. Siebelis. ad Hellenic. p. 324 ss. Clavier. Histoire des prem. temps de la Gr. Tom. I. p. 116 ss. 134 ss. Raoul-Rochette Hist. des colon. gr. Tom. II. Odofr. Müller. Orchom. et Minyae, Eiusd. Boeotia in Encycl. Scient. Hal. Tom. XI. p. 252 ss. Welcker de colonia Cret. Theb. 1824. Klütz de foed. Boeot. Cap. I. §. 1. 2. Krus. Hellad. II, 1. p. 526 ss. Mannert Geogr. vet. Gr. T. VIII. p. 186 ss. Plass. Hist. Gr. ant. Tom. I. p. 62. 104 ss. 306 ss. Cf. etiam C. Fr. Hermann Doctr. Antiquitat. Gr. publ. §. 15. — 9) Orchom. p. 106 sq. Dor. P. I. p. 17 sq. — 10) Doctr. Antiqu. Hell. I, 1, 35. — 11) cf. ad Her. I, 56 sq. et in Jahn. Seebod. Klotz. Annal. nov. 1832. VI, 2. p. 208 — 224. — 12) cf. VV. DD. ap. Siebelis. praef. ed. T. II. Merleker in Horrear. phil. paed. Lips. 1832. I, 2, 283 ss. De eius dictione Boeckh. Prooem. Ind. lect. Berol. aestiv. 1824. (Seebod. Horr. 1828. III. 109 ss.).

passus est ¹³⁾, ita haud satis luculentus idemque misere adhuc mutilatus ne ipse quidem operi videtur ultimam admovisse manum. Quid de Diodoro sentiendum, dubiae fidei auctore, satis constat ¹⁴⁾; melior auctor Plutarchus, patria Boeotus, sed ad nostram rationem non sufficiens. Scholiastae, Lexicographi, Mythographi, ceteri eius generis scriptores priorum post Chr. n. saeculorum largam profundunt congeriem narrationum fabulosarum; sed magis augent his scrutandi difficultatem quam sublevant. Parum efficitur auri, aeris et scoriae plurimum.

At audendo crescunt vires. Nec fas ducimus omnia credere, neque omnia venari et odorari, vel minutissima. Nos igitur non nisi ea credimus quae apto quodam fundamento nitantur, cauti praecipue in iis probandis, quorum auctores a primis rei publicae Boeotorum temporibus nimis sunt remoti. Nam nolumus aetates ita misceri, ut posteriorum somniis turbetur animus et sollicitetur res gestas simpliciter ac claro lumine intueri cupientis.

Cap. II.

„Maxime vero optima quaeque terra incolarum permutationes experta est, Thessalia quae nunc vocatur, et Boeotia, tum magna pars Peloponnesi praeter Arcadium et quidquid praeterea esset perquam insigne“ ¹⁵⁾. Inde iam patet, quam fertilis fuerit Boeotiae ager, quem Attico iuste praefert Strabo ¹⁶⁾; utriusque autem scriptoris sententia confirmatur Anglorum itineribus ¹⁷⁾. Montibus Boeotia quum undique septa sit, quomodo tot immigrationes suscipi potuerint is modo mirabitur, qui non consideraverit, aditum montes non impedire, ubi summa soli fertilitas opum et lucri cupiditatem gentium peregrinarum alliciat. Praeter id duo maria ¹⁸⁾ ad navigationem et mercaturam invitant, satis magna fretorum,

13) Krus. Hell. I. p. 38. 41. II, 1. p. 482. — 14) Manso Sparta T. II. p. 391 ss. —

15) Thueyd. I, 2. — 16) IX, 2, p. 247. ed. Tauchnit. Müll. Orch. 30. 82 sq. — 17) v. quos

all. Krus. Hell. II, 418 sq. — 18) Tria numerant Ephorus ap. Strab. I. c. et Scymnus Chius

sinuum, portuum multitudo exterarum gentium naves asyli instar attrahit¹⁹⁾. Praecipue septentrionalem Boeotiae vallem, quam mediam interfuit Cephissus, arva interdum multis minoribus fluviis fontibusque in unum velut lacum iunctis inundans et fecundissimo stercore laetificans²⁰⁾, varia inhabitantium genera tulisse credibile est; nam hic floruit ad Troiana usque tempora validum illud Orchomeniorum regnum, quod ad Thebanorum campos fines protulisse et Chaeroneam, Haliartum, Coroneam complexum putatur, in planitie pulcherrima et longissime patente²¹⁾, singularia inter fata conditum²²⁾; finitimae fuerunt Thessalia, Doris, Phocis, Locris, eadem prius multiplici rerum conditioni obnoxiae; tota denique regionis natura, saltuum et angustiarum situs, rivorum tractus si minus commodiorem at tutiorem aggressuris praebet conatum, quam meridionalis terrae pars, asperior illa²³⁾ et a natura melius munita.

Recensebimus autem antiquissimos Boeotiae populos eo ordine, quo Strabo²⁴⁾ recensuit, duce ni fallimur Ephoro. Is quidem nuntiat, prius barbaros ibi fuisse, *Aones* et *Temnices*, a Sunio inde evagatos, item *Leleges* et *Hyantes*. Tum *Phoenices* cum Cadmo advenisse; huius posteros Cadmeae Thebas adstruxisse et maximam Boeotiae partem sub imperio tenuisse usque ad Epigonorum tempora, quibus Thebis exules factos aliquanto post revertisse²⁵⁾; iterum a *Thracibus* et *Pelasgis* eiectos cum Arnaeis regnum in Thessalia condidisse²⁶⁾ diu intactum, ita ut omnes *Boeotorum* nomine signarentur. Postea omnes domum reduces, quum Orestis filii Asiam transire molirentur, Orchomenico regno Boeotiae addito Pelasgos Athenas, Thraces Parnassum versus pepulisse, Penthilum cum colonia Aeolum emigrantem adiuvisse. Hactenus Strabo. Illa quam

vs. 488, quum Euripus Euboicum mare in duo quasi maria discindat. — 19) Strab. l. c. — 20) Strab. IX, 2, 256. Pausan. IX, 38, 5. 6. — 21) Plutarch. Sull. 20: Τῶν γὰρ Βοιωτῶν πεδίων ὃ τί πᾶρ ἐστὶ καλλίστον καὶ μέγιστον τοῦτο τῆς Ὀρχομενίων ἐξηρημένων πόλεως κ. τ. λ. — 22) Plura videbis infra Cap. IV. — 23) De Cithaerone et Parnete v. Krus. Hell. II, 1, 5 ss. 423. Müll. Orch. 22. — 24) IX, 1, 248. — 25) cf. IX, 2, 266 sq. 269. — 26) cf. IX, 2, 265. —

parum integra et ubivis perspicua sint nemo non intelligit. Non magis sufficiunt, quae alio loco leguntur ²⁷⁾, expositis non dissimilia.

Initio quae allegantur gentes Viri Docti nunc fere omnes velut uno ore fabulosas existimant, exceptis Lelegibus. Attamen operae pretium est de singulis disputare periculumque facere, num forte una et altera historiae vindicari possit.

De *Aonibus* Stephanus Byzantinus quaedam ²⁸⁾, sed nil fere praeter nomina. Hos Aones, nam ita tum Boeotos esse vocatos, aut Cecropis aetate aut paullo prius Atticam terra vastasse narrat Philochorus ²⁹⁾. Plane fabulosam fuisse gentem non concesserim; nam nimis multa eius sunt vestigia. Esto Pausaniam fabulas retulisse scribentem, post *Hectenas*, qui sub rege Ogygo Thebaida incoluisse, unde Ogygiae Thebae ³⁰⁾, postea peste interiisse dicantur ³¹⁾, Hyantes et Aones terram obtinuisse; postea quum Cadmus et Phoenices invasissent, Hyantes proelio fusos nocte insequente fugisse, Aones supplices factos a Cadmo inter Phoenices receptos mixtosque; qui antea vicatim habitassent, nunc in Cadmeam esse collectos ³²⁾. At cuiusnam stirpis fuerunt tandem Aones illi, qui iam ante Cadmum et Cadmeos in Boeotia fuisse feruntur? Clarius, opinor, elucebit, si prius aliarum quarundam, quae una cum iis a Strabone produntur, gentium originem et sedes expiscati fuerimus.

De *Temmicibus* quae Strabo profert ³³⁾, si Ephori sunt, antiquissima habentur; prior nulla patet notitia, nam de Menelao ³⁴⁾ malo ta-

27) VII, 7, 114. coll. IX, 2, 263. — 28) Ἄονες, ἔθνος Βοιωτίας, ἀπὸ ἧς ἡ Ἄορτα, καὶ Ἄων τὸ ἔθνος καὶ Ἄωνιος καὶ Ἄορτα. Cf. eund. v. Βοιωτία, Eustath. ad Jl. II. p. 262. et qu. I. Müll. Orch. p. 131. annot. I. cll. p. 200. — 29) ap. Strab. IX, I, 242. — 30) Apollon. Rh. III, 1178. Cecrops quum in Boeotia regnaret, totam Ogygiam esse appellatam censet Strabo IX, 2, 258. V. infra Cap. V. — 31) Hanc gentem plane fabulosam esse ostendit Tietz. ad Lycophron. 433. (cf. 1212. Nonn. Dionys. V, 37. Suid. Phavor. Etymol. M. v. Ἐγχιήρες), qui quum ipse nesciat, unde Thebani vocentur Hectenes, ut explicet, ad infelicem etymologiam confugit. Idem sentio de *Pronastis*, quos habet Steph. Byz. v. Προνάσται. — 32) Pausan. IX, 5, 1. cf. X, 35, 4. — 33) II. I. annot. 24 et 27. — 34) v. ann. sequi —

cere. Quid e posteriorum commentis, si placet, elicias non habes, nisi forte, partem fuisse Aonum, cum quibus a Sunio inde prorupisse fama fert et, si Ttetzæ fides, montem Temmicum obsedissee³⁵). De his igitur nescio quid statuam.

Cap. III.

At persequamur *Hyantum* vestigia. In catalogo navium Homericō³⁶) commemorantur urbes Hyampolis et Anemorea inter Phocenses, unde factum videtur, ut et posteri quidam Hyampolin Phocidi adnumerarent³⁷),

35) Ἀργῆς παλαιᾶς γενεᾶς Τεμνίκων πρόμοι Lycophr. 644. (cf. Steph. B. v. Ἀργῆ), ad qu. l. Ttetzes: τῶν Βοιωτῶν, ἀπὸ ὄρους Τεμνίκου. Τεμνικία Lyc. 786. Nonn. Dion. IV, 142. Ttetz. ad Lyc. et Steph. B. Τέμμις, qui ex Menclao in Thebaidis l. I. Τεμνίκιον ἄστυ. Sed neque de monte illo, nec de Bombylio et urbe Bombylia ap. Lyc. et Ttetz. quidquam certum; coniectura ducimur ad βομβύλιω, quo verbo apum susurrus exprimitur, unde βόμβυλος et βόμβυλον ap. Suid., βομβύλη, βομβυλίς Hesych. cf. Schneid. Lex. Heliconis apum meminit Paus. IX, 23, 2. — 36) Jl. II, 521. — 37) Strabonis sententia, ut nunc est, rem non satis illustrat. Ad ea, quae IX, 2, 249 dixit, Hyantes Hyampolin Phocidis extruxisse (Τὴν πόλιν suadet novissimorum interpretum unus, Groskurdus) addit p. 272, supra Orchomenum sitas esse Panopeum, urbem Phociam, et Hyampolin, quam igitur h. l. ad Bocoticas refert. Tum (IX, 3, 284 sq.) Anemoream a nonnullis Anemoliam nuncupari, postea ab aliis Hyampolin appellatam, in quam ex Bocotia Hyantes evasisse supra dictum sit. Urbem fere mediterraneam, Parapotamiis propinquam esse, diversam ab Hyampoli ad Parnassum sita. Huius Parnassæe præter Str. unus mentionem facit Schol. Eur. Or. 1094., eamque Tzschuck. ad Strab. l. c. Homericam censet. Groskurdus autem, quum Homerus discrete Anemoream ab Hyampoli distinguat (quod negat Eustath. ad Jl. II, 521), quum neque Strabo antea neque Pausanias, ubi de Hyampoli ab Hyantibus condita loquitur (X, 35, 4.), de illa nominis mutatione quidquam significet, acute Strabonis verba e Pausania conatur ita restituere et supplere: Τινὲς δὲ Ἀνεμώλειαν καλοῦσιν. Εἶθ' Ἰας πόλιν (Ἰαμπόλις μὲν ἂν τὰντα ἐκλήθη ὑπὸ τινῶν), εἰς ἣν κ. τ. λ. Aliam viam ingressus est Od. Müller Orchom. p. 496, qui pro Ἰαμπόλιος substituit Ἰαμπόλιος et ὑπὸ τινῶν ciicit. Sed mihi non persuasit Vir Doctiss., duas eius nominis urbes existere non potuisse. Neque de Hyampeia certum fecit. Nam ubicunque Hyampeia memoratur, non est urbs, sed rupes supra Delphos septentrionem versus sita (Herod. VIII, 39), unde prius homines sacrilegī præcipitati fuisse dicuntur, quod fatum etiam Aesopo fabulatore a Delphis accidisse nonnulli ferebant, auctore Plutarcho de Ser. Num. Vind. 12. ad qu. l. v. Grauert de Aesopo p. 55 sq. 58 sq. Müll. Orch. 494. Regionem autem aliam esse iam ipse vides. At ne Hyan quidem descendimus, rem prorsus nihili. Sed totus locus videtur e Pausania sic scribendus: Εἶθ'

quae ab aliis ³⁸⁾ Boeotiae adscribitur. Illam dicuntur Hyantes condidisse a Cadmo proelio fusos fugatosque ³⁹⁾. Sed si haec ipsa est ea urbs, quam Homerus novit, paene adducor ut credam, iam ante Cadmi tempora aedificatam fuisse Thebisque antiquiorem; nam Thebarum posterioris amplitudinis et principatus in Iliade et Odyssea vix ullum vestigium, immo legimus in Homericō hymno in Apollinem ⁴⁰⁾, Thebas nondum existisse sed silvam fuisse, quum iam Onchestus floreret ut sedes ludorum sacrorum, cuius tamen incolae antiqui perhibentur Hyantes ⁴¹⁾. Circa Alalcomeniam collocantur a Stephano Byzantino ⁴²⁾, qui Aetoliam quoque prius "Υαντιν nominatam tradit ⁴³⁾, et Hyantiam Locrorum urbem, quam "Υανθσίαν vocat Plutarchus ⁴⁴⁾. Neque Hyphanteion montem Hyantum dici non recte observatum est ⁴⁵⁾. Ex hac igitur tanta obscuritate vix emergere licet. Nam Pindari Hyes ⁴⁶⁾ quid ad historiam? Num efficiunt, Hyantum nomen nil minus esse quam gentis cuiusdam proprium, quum sit appellativum? Minime; alia enim lux indicatur a Strabone vel quos is ipse sequitur duces ⁴⁷⁾. Aetoliam incoluerunt olim Curetes, non ii, qui

Υαντων πόλις (Υάμπολις μετὰ τ. ἐκλήθη) εἰς ἣν κ. τ. λ. Vitium codicum aetatem superat, nam Eustathium iam fefellit. Ceterum Phocidi urbem vindicant Paus. l. c. et X, 1, 1, Steph. Byz. v. *Υάμπολις*, qui de conditore *Υαμπολίτη* fabulatur; cf. Herodot. VIII, 28. 33. 34. — 38) Ptolem. III, 15. cf. Holsten. ad Steph. B. v. *Υαμπ.* — 39) Paus. X, 35, 4. — 40) vers. 225. — 41) Apollon. Rhod. III, 1242 c. Schol. — 42) v. *Υαντες*. Plin. H. N. 4, 12 nil nisi Boeotos antiquitus Hyantes dictos. Schol. Pind. Ol. 6, 152 (94) *Υαντες, ἔθνος βάρβαρον ἀρχαῖον, κατώκησαν τὴν Βοιωτίαν*. Idem fere Tietz. ad Lyc. 433. — 43) v. *Αἰτολία* cf. Orch. 130. ann. 4. Huc pertinent versus Phrynichi Tragicī ap. Tietz. ad Lyc. l. l. e. dramate *Πλευρονίας* (ita Bentl. opusc. phil. p. 294), qui de incursu exercitus Hyantum, antiqui populi, agunt; nam iungo *στρατός Υαντος* et *εἰς γῆν ἐνήδ'* refero ad Pleuroniam. Alii aliter. Ille „alius quidam historicus," quem Tt. laudat, videtur Hecataeus Miles. esse. Ad Phryn. l. cf. etiam Sturz ad Hellan. p. 69. — 44) Quaest. Gr. p. 294. Nisi haec eadem est urbs, quam Polyb. V, 17. scribit *Ολιάνθεια*, ut *Ολιανθεῖς* ap. Thuc. III, 101 inter Loerenses populos recensentur (cf. Huds. et Wasse ad h. l.). Ibi etiam *Υαῖοι*, qui vicium tenebant *Πόλις ὄνομα*; quis non crederet Hyampolin? — 45) Müll. Orch. 39. — 46) ap. Strab. VII, 7, 114. cf. Krus. Hell. I, 399. 400. Bocckh. ad Pind. Ol. 6, 90. Schol. h. l. — 47) X, 3, 349 ss. —

essent Cretenses origine ac cultu, sed Graeciae septentrionalis populus⁴⁸); Curetis appellabatur regio Pleuronica, quam Curetes tenebant. Accidit vero sexta aetate ante bellum Troianum, ut Aetolus quidam, Endymionis et Neidis sive Iphianassae filius⁴⁹), quum Api, Phoronei filio, interemto ex Elide profugisset in Curetum terram, hos Acarnaniam immigrare cogeret. Aetolum Ephorus auctor est secutum Epeorum s. Eleorum agmen, quibus Aeoles consociati fuerint, qui cum Boeotis e Thessalia venissent. Omnes denique iunctim terram occuparunt et obsederunt. Ad ea Apollodorus ap. Strab. testatur, Hyantes e Boeotia ad Aetolos movisse. Inde Aetolorum regio Hyantis; inde illustrantur Phrynichi versus⁵⁰); Calydonis uxor in fabulis vocatur Aeolia⁵¹); Calydon urbs ipsa olim Aeolis⁵²). Quid autem? Qui fit, ut Hyantes cum Aeolibus Thessalis congregentur? Dixeris, a Cadmo pulsi. Sit hoc, etsi subdubitare liceat. Nam quae de Cadmo rege et heroe narrantur, ad fabulas plurima pertinent. Sed nil nos impedit opinari, *Hyantes Aeolicae stirpis* fuisse, fortasse ipsos Aeoles, qui sub alio nomine in superiore Boeotiae parte comparerent. Haec ut demonstrentur, audiamus Pausaniam dicentem⁵³), Boeotos antiquitus Thessaliam s. Thessaliae partem incoluisse ibique Aeolum nomen tulisse. Plura dabit Diodorus⁵⁴), ubi res Aeolum ab initiis repetit. Est autem eius relatio fabulis repleta de Aeoli progenie et tribus Aeolis sicut de Boeoto, Neptuni et Arnes⁵⁵) filio, cuius pater Aeolus, a quo Boeotus Metaponto redux adoptatur. Is postea regno potitus Aeolidi, quae nunc Thessalia vocatur, matris nomen indidit, incolas suo nomine Boeotos appellat; Boeoti pronepotes cum Boeotis Troiam proficiscuntur⁵⁶). Haec Diodorus, quibus

48) De duplici nominis significatione cf. Strab. l. c. Hoeck. Creta I, 198 ss. Wachsm. I, 1, 30 sq. et quos laud. Voemel de incol. Thess. antiquiss. p. 15 annot. I. Lobeckii Aglaophamum inspicere nondum mihi contigit. — 49) Apollod. I, 7, 6. — 50) vid. annot. 43. — 51) Thuc. III, 102. — 52) Apollod. I, 7, 7. — 53) X, 8, 3. — 54) IV, 67. — 55) Idem Diodorus XIX, 53. Melanippae Boeotum dat filium, ut Eurip. (Mel. fr.) et Strabo (VI, 2, 22.) Alii Itono Amphictyonis f. (cf. Wesseling ad Diod. IV, 67. Müll. Orch. 392. Etym. M. Schol. Apollon. Rh. I, 551.), quem Diod. facit Boeoti filium. — 56) Paulo aliter Hygin. fab.

diligentius examinatis, secretis iis, quae Graecorum more fabulis sunt exornata, convincitur antiquissima Boeotorum et Aeolum affinitas et cognatio ac nisi eadem certe par origo ⁵⁷⁾, ut tanquam unus conspiciatur uterque populus iam ante Cadmeorum tempora, tum in Aeolide tum in Boeotiae parte insidens. Quo minus vero Hyantes *αυτόχθονας* censeam, prohibet Thucydides, qui si docet ⁵⁸⁾: „Boeoti, qui nunc sunt, sexagesimo anno post Troiam eversam, a Thessalis ex Arne pulsus, regionem, quae nunc Boeotia est, prius Cadmeis dicebatur, occuparunt; exstabat autem eorum pars quaedam iam antea in hac regione et ex horum numero fuerunt, qui Troianam expeditionem secuti sunt,“ significare videtur, priorem aliquam immigrationem Troiano aevo antiquiorem praeivisse. Minime quidem me fugit, Odofredum Müllerum ⁵⁹⁾ haec Thucydidis verba vehementer impugnasse, qui „ne partem quidem huius populi prius in Boeotia habitasse concedit, sed hanc Thucydidis opinionem ex nimia Homeri, apud quem propter ea, quae recentioribus temporibus evenerint, iam belli Troiani aetate illam regionem occupent, veneratione profectam credit“ ⁶⁰⁾. Sed nec Klützio ⁶¹⁾ nec Popponi nec mihi persuasit. Nam, ut illi monent, Thucydides non suam opinionem se proferre indicat sed rem, de qua dubitari nequeat. Tum cogitandum, Homeri auctoritatem a Thucydide non tanti aestimatam, ut eum ad hunc poetam cum historia conciliandum talia excogitasse ullo modo verisimile putetur. Dicendo enim ⁶²⁾ *εἰ τῷ ἱκανὸς τεκμηριῶσαι* non ostendit, fide dignum poetam esse, sed significat, se Homeri auctoritatem in rebus historicis non magnam iudicare ⁶³⁾.

Digna res est, in qua paullulum moremur. In catalogo Homérico ⁶⁴⁾ exhibentur duae Boeotici agminis partes, altera quinquaginta navium, quae complectitur longe ampliorem regionis mediterraneae inferiorisque incolarum

186. — 57) Cf. etiam Steph. Byz. vv. *Ἰωνία* et *Ἀσπληθών*. — 58) I, 12. — 59) Orchom. 893. ss. — 60) Verba sunt Popponis ad Thuc. I. I. P. III. Vol. I. p. 129. — 61) De foed. Boeot. p. 12. — 62) I, 9. — 63) cf. II, 41. Poppo Proleg. Thuc. I, 1. p. 34. — 64) JI. II, 494 ss.

recensum, quam altera triginta navium, quae formatur ab Orchomeni et Aspledonis auxiliis. Concedimus nomina ducum, Penelei, Leiti, Arcesilai, Prothoenoris, Clonii, quae in Iliade saepius redeunt ⁶⁵), ad historiam non magni momenti esse ⁶⁶). Sed non concedimus, propterea quod Boeoti et Cadmei distinguantur, hi non commemorentur, nisi de Thebana septem heroum expeditione sermo sit, ibi autem soli, neque item aliis Boeotiae locis appareant, Diodorum in errore versari, quippe qui iam ante illam expeditionem Boeotiam Boeoto subiectam statuatur. At vero illud statim animum advertit, quod in catalogo non Thebae interpositae sunt sed Hypothebae, quas non Thebarum urbis tum ab Epigonis destructae et a Cadmeis derelictae partem sed vicum fuisse, cui deinde Potniarum nomen suppeteret, Müllerus recte autumat ⁶⁷). Quare verisimillimum est, poetam ita Cadmeos a ceteris Boeotis distinxisse, ut etiam Minyas a Boeotis separat, neque Cadmeorum nomen tum ultra Thebaida valuisse. Alia vero difficultas in Arnes urbis situ et nomine, quam catalogus inter Boeoticas urbes refert, tum tantum oriri potest, si Pausaniae verba ⁶⁸) ineptis commentis obscurantur. Scimus equidem a nonnullis post tempora Troica exstructam putari ⁶⁹), sed nullius auctoritatis est nuntius. A Pausania Strabo recedere videtur Popponi ⁷⁰) et prope Chaeroneam hanc Arnen sitam existimare,

65) Müll. Orch. 394, 2. locos exhibet. — 66) Idem ap. Dioid. IV, 67. — 67) cf. Strab. IX, 2, 266 sq. Orchom. 227. Krus. Hell. II, 1, 555 sq. — 68) IX, 40, 3: *Λεβαδίων δὲ ἔχονται Χαιρώνις· ἑκαλεῖτο δὲ ἡ πόλις καὶ τοῖτοις Ἄρη τὸ ἀρχαῖον· θυγατέρα δὲ εἶναι λέγουσιν Αἰόλου τὴν Ἄρην, ἀπὸ δὲ ταύτης κληθῆναι καὶ ἐτέραν ἐν Θεσσαλίᾳ πόλιν — Ὅμηρος δ' ἐπιστάμενος ἐμοὶ δοκεῖν Χαιρώνειάν τε ἤδη καὶ Λεβαδειαν καλουμένας, ὅμως τοῖς ἀρχαίοις ἐχρήσατο ὀνόμασι ἐς αὐτὰς, καθότι καὶ Αἴγυπτον τὸν ποταμὸν εἶπεν, οὐ Νεῖλον. Simil. Steph. Byz. v. Χαιρωνεῖα cf. v. Ἄρη, ubi additur: δευτέρα πόλις Θεσσαλίας, ἀποικὸς τῆς Βοιωτίας, περὶ ἧς ὁ χρησμὸς — —*

Ἄρη χερσίουσα μένει Βοιωτῶν ἄνδρα·

ἢ Κέρκιον καλεῖται. Eum Hecataeum sequi putat Klausen. ad Hecat. fragm. p. 69. — 69) Schol. Didymi JI, II, 507. Num quidquid Schol. Aristoph. Nub. 134 inest, fidem mereatur, nolim discernere. — 70) ad Schol. Thuc. I, 12. (ablegat lectores ad Heyn. JI. T. IV. p. 309, cuius disputatione me uti non posse doleo.

non ipsam esse, ut ait Pausanias. Ille de Acraephii situ locutus addit ⁷¹⁾: „Hoc dicitur apud Homerum Arne nominatum, sicut Thessalicum. Alii autem aiunt, etiam Arnen Mideamque devoratas esse a lacu“. Iam tota enuntiandi ratio efficit, ut Strabonem hic incertum nec satis recte edoctum fuisse arguamus. Nam ipse perquam caute suam sententiam supprimit, alios loquentes facit. Iccirco non refutatur his Pausanias. Illa Boeotica Arne si vere est colonia Thessalicae ⁷²⁾, iterum confirmatur opinio de antiquissimo Aeolum et Boeotorum nexu.

His contra Müllerum disputatis vix opus est ut addam, me de nova quadam Arne prope Coroneam ⁷³⁾, condita post alteram illam Aeolum Boeotorum immigrationem post Troiae excidium Viro Doctissimo ⁷⁴⁾ fidem denegare, de Arne Thessalica (urbs erat prope sinum Pagaseticum ⁷⁵⁾ et olim simul tota Aeolis nomen Arnes ferebat) plane consentire. De altera autem illa expeditione ita testantur Strabo ⁷⁶⁾, Thucydides ⁷⁷⁾, Diodorus ⁷⁸⁾, Plutarchus ⁷⁹⁾, ut dubitari nequeat.

Cap. IV.

At quaerat quispiam, quomodo prior, quae colligitur ex Thucydide, Aeolum Boeotorum immigratio, inter quos Hyantes aut socios fuisse aut cum quibus ut stirpis primoribus in unam gentem coaluisse censuerim, suo nomine amisso, congruat cum *Minyarum* et *Cadmeorum* historia. Videmus Orchomeniorum regnum Troiani belli aetate florentissimum ⁸⁰⁾, a Boeotia ut a Cadmeide prorsus disiunctum ⁸¹⁾, cuius radices quaerendae in confinio Macedoniae ac Thessaliae, unde paullatim Andreidae descendunt in Orchomeniam regionem. Ibi Halmones colonia a Sisypheide (Aeolibus

71) IX, 2, 268. — 72) Schol. Thuc. 1. l. Errat Steph. Byz. (v. annot. 68). Cf. Poppon. Thuc. P. I. Vol. 2. p. 309. annot. 22. — 73) Sinuessam prius vocatam ex Thesei Corinthiacis. affert Tietz. ad Lyc. 644. cf. Etym. M. Sed haec Pausaniam non refellunt. — 74) Orch. 392. Boeotia Encycl. p. 264. col. 1. — 75) Inter Thessalicas habet Plin. H. N. IV, 14. — 76) IX, 2, 249. 255. — 77) I, 12. — 78) XIX, 53. — 79) Cimon. 1. — 80) Jl. IX, 281. — 81) Strab. IX, 2, 249.

Corinthiacis) occupatur. His annectitur alia Aeolum Thessalorum colonia, cum Athamante, Aeoli filio, ut fabula fert, Orchomenum ingressa, quam tradunt campum Athamantium prope Copaidem lacum insedisse. Iolcus quoque Thessalica, prius ditissima et potentissima, Minyarum fuit colonia, mirabilis illius populi, qui iam maria intrepide percurrit, Lemnum frequentat, et inter Argonautas splendet. Quin Africam expetunt Cyrenenque insident; celebrantur denique artis fama ob aedificiorum praestantiam et altitudinem. Ab his non diversi censentur Phlegyaë, fortasse bellicosior pars, praesertim circa Panopëum Phocidis, tum in Thessalia Euboeaque sedes habens ⁸²).

Iam fuerunt qui opinarentur ⁸³), Boeotorum partem, quam Thucydides auctor est ante bellum Troicum in Boeotia habitasse, forsitan coloniam ab Athamante, postea Orchomeni rege, e Thessalia in Boeotiam ductam ⁸⁴) fuisse. At haec ita fabularum involucris latent, ut vix inde quidquam historici argumenti elici possit ⁸⁵). Neque quod apud alios scriptores Hermippe, Orchomeni uxor, Minyae mater, a Boeoto progenita dicitur ⁸⁶), ad illam coniecturam sustentandam adhibere ausim. In hac igitur causa destituimur certioribus rationibus. Illud autem Orchomeniorum regnum tantum fuisse ponitur, ut non solum Orchomenum et Aspledona, sed adhuc totam, quae lacum Copaidem occidentem et septentrionem versus circumiacet ⁸⁷), amplecteretur regionem, praeter Hyriam et minores quosdam vicos, ut vel Thebae Minyis aliquamdiu parerent. Quam recte ponatur, nunc meum non est exquirere. Interim mecum iudices velim, talem magnitudinem exstare non potuisse, quum Hyantes in Boeotia florerent.

De Cadmo et Cadmeis uberius exponere vetat libelli ratio in re lon-

82) Müll. Orch. 139 ss. 248 ss. ed. Dor. I, 10 contra Buttmann. de Minyis p. 206 ss. (Commentatt. Ac. Berol. 1820. 21. Mythol. II, 194 — 245.). Pflugk. Rer. Euboic. spec. p. 14 sq. — 83) Siebelis. Hellen. p. 204. 326. — 84) Paus. IX, 34, 5. — 85) Ita iam Müll. Orch. 135, qui p. 140 cll. 142 cum his mythicis Acolibus Boeotos componere vetat. — 86) Schol. Apoll. Rh. I, 230. Orch. 141, 2. — 87) Krus. Hell. II, 1, 576 ss.

giore spinisque plena; paucula disseram de illo Ephori nuntio ⁸⁸⁾, quem supra iam prolatum paucis repetere liceat. Cadmei, ait ille, maximam Boeotiae partem sub ditione sua tenuerunt usque ad Epigonorum bellum. Tunc Thebis exulati, posthac redierunt. Pariter a Thracibus et Pelasgis expulsi cum Arnaeis in Thessalia regnum struxerunt, quod diu stetit, ita ut omnes Boeoti appellarentur. Tum domum reduces facti, quum Orestis filii in Asiam emigrare instituerent. Cadmeos Thebis Alalcomenas et in montem Tilphossium fugisse ipse Strabo ⁸⁹⁾ nuntiat; Thraces et Pelasgos olim vi Boeotia potitos repetit ⁹⁰⁾; sed de tempore huius irruptionis non inter omnes constat ⁹¹⁾. Hos *Thraces* non confundendos cum barbaris illis Ponti Euxini accolis sed in Pieria circa Olympum sedisse, antequam ad Heliconem usque prorumperent, patet ex Thucydide ⁹²⁾ et Strabone ⁹³⁾. Ibi autem, inter Parnassum et Heliconem, adhuc habitasse videntur, quum iterum Boeoti ex Thessalia invaderent ⁹⁴⁾, cum quibus acie pugnasse feruntur. Postea aut in unam utraque gens coit, aut Thraces supra mare vecti novam quaerunt patriam. De Pelasgis infra sermo erit. Id solum praemoneo, mihi persuaderi non posse, eosdem Cadmeos esse Pelasgosque Tyrrenicos, quae est sententia Mülleri ⁹⁵⁾, Wachsmuthii ⁹⁶⁾, aliorum. Sed iure suo Krüsius ⁹⁷⁾, Plassius ⁹⁸⁾ alii in priorem viam revertisse videntur, qui Cadmum et Cadmeos non Graecos sed barbaros advenas statuunt. Utut sit, ad Thucydidem nil refert. Nam si Aeolum pars iam prius in Boeotia fuit, credibile visum est iam ante Thebarum florem fuisse, priusquam Cadmeidos nomen regioni obtigerit; inde autem Cad-

88) ap. Strab. IX, 2, 248 sq. — 89) IX, 2, 269. cf. 266 extr. et Apollod. III, 7, 3. —

90) IX, 2, 263. cf. Diod. XIX, 53. — 91) Voemel de ant. Thess. inc. p. 23. ponit in a.

1210 a. Chr., secutus Clavier, Vol. I. p. 302 sq. — 92) II, 29. — 93) ann. 87. Müll. Orch. 379 —

90. Dor. I, 9. Illam Boeoticam Thracen XIII, 1, 81 significari arbitrantur Viri quid. DD.

(Müll. Orch. 386), pernegat Voelcker de colonn. Aeol. migratt. in Annal. schol. Darmst. 1831

40, 316. — 94) 1124 a. Chr. Thuc. I, 12. Ephor. l. l., quibuscum tempore pugnat Diodor. l. l. —

95) Orch. 437 ss. — 96) Ant. Hellen. I, 1, 26 sq. — 97) Hellas I, 436 ss. II, 1, 530 ss. —

98) Hist. Gr. ant. Vol. I. p. 104 ss. coll. 127 ss. 306 ss. Nolim vero eius rationes omnino probare.

meorum nomen ita invaluisse, ut alia non amplius audirentur atque interirent, praesertim nationum barbararum, quis est qui mirum habeat?

Ubi vero a Boeotis et Orchomeniis Pelagos Athenas, Thraces Parnassum versus pulsos Ephori testimonio confirmatum legimus, additur Hyantes in Phocide Hyampolin incolis frequentasse⁹⁹⁾, quod certe factum non foret, nisi Hyantes ad Boeotos originis iure pertinuissent; nam non victi sed victores urbes condere aut frequentare solent.

Quum autem nulla coniectura sit stabilis, nisi quae idoneis fulciatur argumentis, nolo committere, ut quis vitio mihi det, me non nihil praetermisisse, ut probem, Hyantes illos non alius generis esse quam Aeoles Boeotos. Alius non posse credimus. Nam Boeotorum nomen postea demum invaluit, quo tempore Hyantum nullum fere superest vestigium ut populi sui iuris suaeque naturae. Nolo quidem in examen vocare Diodori, sive quem sequi putandus est, Dionysii Milesii rationes in ficta illa vel tralaticia narratione de Boeoto eiusque progenie, quippe quas ad liquidum perductum iri desperem, probe memor Africani, Phlegontis, ipsius Diodori aliorumque sententiae fatentium, usque ad Olympiadum initium nil accurate fuisse conscriptum, nil vere consignatum¹⁰⁰⁾. Quanquam si illud historici aliquantulum habet pretii, quod inter Polydorum et Epigonorum tempora totam regionem dictam fuisse Boeotiam refert, collatis hominum aetatibus aliqua saltem emergit temporum computatio. A Boeoto usque ad duces Boeotorum Troiam profectorum numerantur quatuor generationes; iam videbis excidio Troiae constituto in a. Chr. 1184 sive cum Marmoribus Paris in a. 1209, et computatis tribus hominum aetatibus pro centum annis, Boeoti illius, si quis fuit, aetatem collocandam esse in saeculi decimi tertii a. Chr. initium neque pugnare cum Marmore Pario, quod Epigonorum bellum ponit in a. 1252. Illud vero certissimum, nusquam Boeotos

99) *φιισαν*, non *condidisse*, quod quis reddiderit, nam conditum iam antea putaverim propter ea, quae Cap. III. dicta sunt. — 100) Afr. ap. Euseb. Praep. Ev. X, 10. p. 487. Phleg. ap. Phot. cod. 97. Diod. IV, 1. Clinton. Fast. proem. p. II sq.

tanquam aborigines significari; Hyantes inter veterrimos incolas referuntur, sed iidem inter barbaros a Strabone, Stephano et aliis, quibus non obloquitur Pausanias ¹⁰¹), qui cum Cadmo et Phoenicibus non confundendos praecipit. Quamobrem nec Pelasgis isti accensendi, quos indigenas fuisse postea indicabimus, in Boeotiam immigrasse nemo unquam contendit. At ne Leleges quidem sunt, etiamsi quis Strabonem adhibere velit testem. Idoneum, si plura loqueretur et certiora, nimis heu taciturnum, ut nunc est. Nam quas Leleges condiderunt urbes maritimae sunt, media in continentis terrae regione propemodum nullae, nullae, quod sciam, in alto montium, qualis Hyampolis traditur sita fuisse. Reliquum igitur est ut Hyantes aut nulli prorsus aliarum gentium stirpi adscribamus, quod qua auctoritate tueamur non video, aut Aeolibus, quibus ut adscribantur plurima suadent.

Cap. V.

Post longas ambages redimus ad *Aones*. Quos si Strabo sive Ephorus barbaros facit, cum Temmicibus a meridie ingressos, non dissentit a Pausania ¹⁰²), ut vidimus, natione Graecos habendos docente. Neque hoc quisquam recusabit. Qui autem totos ad poesin et fabulam reiiciendos iubeant multi sunt, immo plerique. Certe apud poetas Aonius est Boeotius ¹⁰³), nil ultra, sicut et nostris poetis Teutonicus est Germanicus. Inde igitur nil colligendum ad historiam, nisi forte quod quae Aonia vocantur saepius ad montem Heliconem et Aganippen referuntur, quare Musae Aonides, Camenae, sorores, vates. Non magis iuvamur iis, quae Stephanus, Etymologus, Servius praebent ¹⁰⁴). Memoratur quidem Aonius campus haud procul Glisante et Aonia et collis Aon; Aon simul rex, Neptuni aut Onchesti filius et quae sunt similia. Sed quorsum haec? Plane

101) IX, 5, 1. de Aonibus et Hyantibus: *Βοιωτία ἰμοὶ δοκεῖν γένη καὶ οἶκ ἐπηλύδων ἀνθρώπων.*

102) Eph. ap. Str. IX, 1, 248. Paus. l. l. — 103) Loc. ap. Valcken. ad Eur. Phoen. 645 et Forcell. Lex.; non aliter *Hyantius*. — 104) Müll. Orch. 131.

missos faceremus homines illos nebulis obrutos, nisi Philochorus narraret eosdem Cecropis aetate aut paulo prius Atticam vastasse ¹⁰⁵). Idem Cecrops in Boeotia regnasse traditur, tum Ogygia dicta ¹⁰⁶); eo tempore et Athenas et Eleusin ad Tritonem fluvium (qui proximus esset Copaidi) adhuc stetisse, dein undis submersas. Num Cecrops Aegyptius sit an non sit ¹⁰⁷) perscrutari non est huius loci, neque multum interest ad nostram rem, modo Cecrops ut Ogygus ¹⁰⁸) (uterque enim supra historiae terminum excedit) *Pelasgorum* genti statuatur imperasse. Ita Pelasgi, qui sunt *αἰρώχθωνες* ¹⁰⁹), qui nusquam commigrarunt ¹¹⁰), qui Athenis sedem habuerunt ¹¹¹), sive proprie fuerint indigena Graecorum gens ¹¹²) sive a Graecis diversa iisque tamen affinis ¹¹³), Boeotiam quoque ab antiquissimo aevo tenuerunt. Et ad hanc Pelasgorum stirpem adnumerandi etiam illi, qui cum Thracibus Cadmeos excusserunt; num item, qui a Boeotis Arnaeis in Atticam sunt pulsi ¹¹⁴), in medio relinquo. Sin autem hi Pelasgi ¹¹⁵) revera indigenae fuerunt et Atticis affines, non possunt ad eos Aones pertinuisse; nam hi contra Atticam hostiliter agunt, adeo ut Cecrops populum in duodecim urbes colligere ratum duceret ¹¹⁶). Sed conspiciuntur vagantes et instabiles. Quocirca non dubito, quin *Lelegibus* adscribendi sint, quantumvis utrosque Strabo eandem nationem esse nolit, nam sic videtur, Lele-

105) ap. Str. IX, 1, 242. — 106) Str. IX, 2, 258. cf. Cap. II. — 107) Pernegasse Müllerum Orchom. 106 ss. satis constat. — 108) Cf. de eo Acusilai fragm. p. 232 sq. Tetz. ad Lycophr. 1206. 1209. Lycus ap. Tt. I. m. Philemon. lex. v. *Οὔγγιον*. — 109) Müll. Orch. 128. Wachsmuth. I, 1, 25 ss. 44 ss. Ita et Ogygus dicitur *αἰρώχθων* a Paus. IX, 5, 1. — 110) Herodot. I, 57., quamvis aliter sentiant Strabo et Eustathius cf. Baehr ad Her. I. l. Müll. Dor. I, 17 ss. Tyrsenos autem cum Thuc. IV, 109 unam ex illis gentibus censeam, quas Graeci vulgo inter Pelasgos communi nomine referunt. — 111) Herod. I. l., II, 51. VII, 94. VIII, 44. — 112) Müll. Orch. 125 sq. Dor. I, 6. Raoul-Rochette I, 141 sq. — 113) Niebuhr. Hist. Rom. I, 31 ss. ed. III., Poppo ad Thuc. I, 3. Vol. VII. p. 48. — 114) Strab. IX, 2, 249. C. Fr. Hermann Ant. Gr. §. 15. laud. Raoul-Roch. I, 418—29. Ista de Gephyraeis, Phoenicia stirpe, narrat Herod. V, 57 cl. 61. — 115) De quibus qui scire velit quae nuper scripta sint, adeat Voemel. de Thess. inc. p. 9 ss. C. F. Hermann. p. 19 sq. — 116) Philochor. ap. Strab. IX, 1, 242.

ges post Aonas seorsum producens et cum Hyantibus componens ¹¹⁷). Ex ipso, spero, Strabone demonstrari poterit, quaecunque Aones attingere scimus, ipsis Lelegibus propria esse. Nam eo loco, qui de his princeps est ¹¹⁸), constituit scriptor *barbaros* fuisse propter Carum societatem ¹¹⁹), et natura *vagos*, tum Caribus iunctos tum per se solos, et antiquitus. Porro consentit Aristoteles, Leleges Boeotiam quoque obtinuisse, sicut de Locride confirmat Hesiodus ¹²⁰), qui ex nominis derivatione Straboni videtur significare *συλλέκτους* fuisse ac *μυάδας* h. e. undique collectos et permixtos, unde genus iam pridem evanuisse. Revera cum iis et Pelasgi et Caucones copulantur ¹²¹), neque Curetes in Acarnania Aetoliaque disparis sunt generis; iunctim Deucalione duce Pelasgos ex Thessalia propellunt ¹²²). Quum autem Leleges sicut Cares fere semper aut insulas aut oras incolant ¹²³) indeque faciant excursiones, Aones cum Temmicibus a Sunio evagati dicantur ¹²⁴), facilis est coniectura, utrosque singula maioris Lelegum gentis membra fuisse, quamvis Strabo videatur huic opinioni non favere.

Superest ut percunctemur, num, quod recentiores quidam asserunt ¹²⁵), Dores quoque in singulis Boeotiae partibus habitaverint. Sed

117) Idem facit. Scymnus Ch. 24. — 118) VII, 7, 114 sq. cf. XIII, 1, 118 sq. 127. 3, 141. XIV, 2, 205. Manso Sparta I, 1. p. 9 sq. Wachsm. I, 1. p. 29 ss. Voemel p. 15 ss. — 119) Str. XIV, 2, 208: πολλῶν δὲ λόγων ἐρημένων περὶ Καρῶν ὁ μάλιστα ὁμολογούμενος ἐστὶν οὗτος, ὅτι οἱ Κῆρες ὑπὸ Μίνω ἐτάσσοντο (Thuc. I, 8), τότε Λέλεγες καλούμενοι, καὶ τὰς νήσους ὠκουν· εἰς ἡπειρώται γενόμενοι πολλὴν τῆς παραλίας καὶ τῆς μεσογαίας κατέσχον, τοὺς προκατέχοντας ἀφελόμενοι· καὶ οὗτοι δ' ἦσαν οἱ πλείους Λέλεγες καὶ Πελασγοί. Leleges a Caribus non diversos testantur praeter Strabonem Herodotus (I, 171. ad qu. 1. Baehr laud. Raoul-Roch. I, 378 ss. 384 sq.) Pausanias (VII, 2, 4.), alii. — 120) ap. Strab. VII, 7, 115. — 121) Hom. Jl. X, 428 sq. Wachsmuth. p. 30. — 122) Dionys. Hal. I, 17. — 123) Propterea Lelex dicitur Neptuni filius Paus. I, 44, 5. et ex Aegypto advena ib. I, 39, 5; ubi memorabilis est Bocotorum narratio, Megareum, itidem Neptuni f. Onchesti incolam, cum Bocotorum exercitu in Megareorum terram venisse, ut cum Niso bellum contra Minocin gereret. Duodecima autem hominum aetate post Carem intrasse Lelegem, quo regnante Megareis Lelegum nomen sit inditum. Nonne hoc ad Lelegum Bocotorum invasionem quandam respicere videtur? — 124) Aon rex Neptuni filius Schol. Stat. Theb. I, 34. Achill. I, 19. Apud Aones Neptunum fuisse cultum test. Eustath. ad Dionys. Per. 476. — 125) Krus. Hell. II, 1, 541 sq. Müll. Dor. I, 233 ss.